



Belgius ille prudētia & fortitudine omnes sui
 temporis duces longē superauit. Itaq; maxi-
 mum exercitum ex Gallis, Boijs, & Sueuis colli-
 gens, finitimas & remotas gētes bello petere, at-
 que patriæ fines dilatare statuit. Inde per Panno-
 niam in Mysiam & Illyricum penetrauit, atq; om-
 nes eas regiones ferro subegit. Postea etiā Ma-
 cedoniam, penes quos à temporibus Alexandri
 Magni belli gloria permanerat, suis armis tenta-
 re statuit. Tantus interim erat Gallici & Germani-
 ci nominis terror, quorum arma, ueluti procella
 quædam, omnia sine discrimine proculcabant, ut
 reges nondum lacesiti ingēti pecuniâ pacem ab
 ijs mercarentur. Solus tamen Ptolomæus, qui Macedonia regnum obtine-
 bat, Gallorum aduentum intrepidus audiuit, atq; illis audaci animo occurre-
 re proposuit. Cum etiam uiginti Dardanorum millia ei per legatos in auxiliū
 essent missa, eos superbo animo repudiâuit, dicens actum de Macedonia, si
 (quum totum Orientem eius terræ uiri domuissent) Dardanorum ope ad se
 tuendos indigerēt. Habere se filios eorum qui cum Alexandro maiorem ter-
 ræ partem armis subegissent. Hæc ubi Dardanorum regi nunciata sunt, dixit
 se fertur, Macedonia regnum immaturi iuuenis temeritate casurum. Vene-
 runt interim à Belgio duce legati ad Ptolomæum pacem pollicentes, si eam
 certo auri pondere redimeret. Tum ille audientibus legatis testatus est, metu
 percussos pacem à se petere, quam se Gallis haud quidem daturum respōdit,
 nisi armis traditis suos sibi regulos obsides dedissent.